

Nec defuit ipsi consiliis ac precibus suis mater optima, singularis pietatis & fiduciae in Deum foemina, quam viduam quoque viraginem praecipuo quodam suo jure dixeris.

IV.

Postquam sex integros annos doctissimos Gymnàsii Casimiriani Professores noster audiuerat, & iis jam artibus abundabat, quas studiosos Gymnasticos nosse decet; anno MDCCXCV, habita oratione latina, Musas Coburgenses publice valere jussit, & comite, quem modo nominauimus, fratre suo natu maximo, autumno hujus anni bono cum Deo Academiam Vitebergensem adiit, magna celeberrimorum in hac schola Professorum fama motus. In quibus quum primas teneret veri nominis polyhistor, CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS, ab hujus inprimis ore pependit noster, & sub eo magistro Antiquitates & Criticam Graecam ac Romanam, & cum ceteram historiam omnem, tum Germanicam inprimis didicit. Disciplinas Mathematicas a MARTINO KNORRIO: Philosophiam Moralem a CHRISTIANO ROERENSEO: Logicam & Metaphysicam a GEORGIO FRIDERICO SCHROEERO: linguas orientales &